Zur öffentlichen Prüfung

des königlichen und städtischen

…mnasiums in Soran

am 25. und 26. März 1850,

…o wie zu geneigter Anhörung der dabei zu haltenden Gedächtniß-, Abschieds- und Actusreden

ladet

die hohen Vorgesetzten der Anstalt und die geehrten Eltern der Zöglinge

ganz ergebenst ein

Dr. Adler,

Rector.

…alt: Schulnachrichten und eine Abhandlung des Oberlehrers Dr. Klinkmüller: *de virtutibus nonnullis, quae causae erant potentiae Romanae.*

Soran, 1850.

Druck der J. D. Rauert'schen Buchdruckerei.

De virtutibus nonnullis, quae causae erant potentiae Romanae.

Quum mihi hepatico, qui Caroli IV. aquis bis usus sum, atque quam plurimis scholis emendationibusque tirociniorum obruto programmatis componendi negotium imponeretur et tantummodo breve feriarum, quae tempore natali Jesu Christi, Servatoris nostri, nobis concessae sunt, superesset spatium, rem minus difficilem juventuti nostrae exponere mecum constitui.

Inter omnes constat, Romanos totius orbis terrarum imperio potitos esse. Multae fuerunt causae potentiae Romanae, quas omnes excutere longum est; mores vero Romanorum ad potentiam augendam multum contulisse, nemo infitias ibit. Quis enim nesciat, populum Romanum fide, candore, animi magnitudine, constantia, amore in patriam, frugalitate, pietate, concordia erga nationes exteras, fortitudine, justitia, clementia et multis virtutibus aliis insignem fuisse? Quarum virtutum tantum nonnullas accuratius explicare consilium est.

Fides i. e. dictorum conventorumque constantia et veritas, Cicerone judice fundamentum justitiae, virtus ad rempublicam amplificandam maxime est necessaria. Qua sublata respublica vix crescere, florere et consistere possit. Neque enim sperandum est, civitati nunquam bellum illatum iri. Ut inter viros privatos multae de rebus variis controversiae existunt, ita respublica controversiarum rixarumque cum populis vicinis expers esse non potest. Quae sane controversiae rarius pactis vel sententiis, frequentius armis deciduntur, quod plerumque talium controversiarum ea ambiguitas est, ut judicari nequeat, utrius partis causa melior, an deterior sit, ut necessario tantum armis sit decidendum, quod jure decidi nequit. Quodsi arma sumpta vel damnis mutuis datis contractisque accensi sunt

partium animi, quomodo redire tandem in gratiam concordiamque, quomodo componi possunt iratae mentes, nisi fidei religio hostibus diffidentiam demat promittatque spem pacis futurae? Fieri enim non potest, quin res transigatur, nisi fide ab utraque parte data acceptaque conveniunt hostes et de conditionibus pacis aperte deliberant tractantque. Quae data fides si violetur, multo vehementius bellum gerentes ad arma recurrent et gladios in hostem atrocius stringent, quam antea unquam; nec prius caedium, rapinarum, incendiorum, devastationum finis erit, quam populi discordantes et dare hostibus fidem et datam didicerint servare. Accedit, quod hostis damna a nobis accepta in memoriam reducens facere non potest, quin nobis, qui ei, ut ejus quidem opinio fert, injusta et impia arma intulerimus, diffidat. Quodsi de fide nostra nihil ei constiterit certius, arbitrabitur, cujus fides ob summam injustitiam merito est suspecta, cum eo reconciliationem et tentare et quaerere, vanum esse. Ne igitur aeterna sint odia populorum, ne ensis in infinitum saeviat, ne respublica perpetuis laboribus periculisque exerceatur, opus est, fidem praesto esse, qua legati securi sint atque ea, quae decisa pactaque sunt, inviolata constanter serventur.

Romani, qui perpetuo bella gravissima gerebant, rempublicam servare non poterant, nisi cum quibusdam hostium in gratia erant, quo viribus in unum coactis fortius possent resistere reliquis, quibuscum adhuc integra ira, adhuc integrum erat bellum. Quam gratiam profecto sibi non conciliassent, nisi fides, optima pacis conciliatrix, intervenisset. Quo plura igitur bella gerebant, eo studiosius, ut fidei fama, qua inclarescere cupiebant, apud alias gentes divulgaretur, curabant. Quum enim hic populus omnes artes virtutesque imperatorias longe diligentius reciperet coleretque, quam aliae gentes, hujus quoque virtutis non negligens contendit, ut ceterae gentes ejus fidem celebrarent. Itaque apud *Gellium Noct. Attic.* lib. XX. cap. I. Sextus Caecilius Favorino philosopho dicit: „*omnibus quidem virtutum generibus exercendis colendisque populus Romanus e parva origine ad tantae amplitudinis instar emicuit, sed omnium maxime atque praecipue fidem coluit sanctamque habuit tam privatim quam publice.*" Quibus praemissis, pauca videamus exempla, quorum permulta eaque illustria in historia Romana leguntur.

M. Atilii Reguli fidem Carthaginiensibus servatam, summa admiratione nostra dignam, ipsi vero fatalem, quum res nota sit omnibus, tantummodo quasi praeteriens commemoro. Conferri de ea potest Cic. de Offic. lib. III. c. XXVI. Magis historicis, quam vulgo notum est P. Scipionis Africani Majoris factum, quod ex Livii lib. XXXVIII. affert *Valerius Maximus* lib. VI. Memorab. cap. VI. n. IV. Is enim, quum navem multis et illustribus Carthaginiensibus viris

onustam intercepisset, eam inviolatam dimisit, quia se legatos ad eum missos dicebant: *Tametsi manifestum erat*, addit significanter Valerius, *illos vitandi praesentis periculi gratia falsum legationis nomen amplecti: ut Romani imperatoris potius decepta fides, quam frustra implorata judicaretur.* — Idem *Valerius* eodem capite multa alia hujus virtutis exempla proponit, quorum unum tantummodo repetam.

Ingenti Poenorum classe circa Siciliam devicta, duces ejus fractis animis consilia petendae pacis agitabant. Quorum Amilcar ire se ad consules negabat audere, ne eodem modo catenae sibi injicerentur, quo ab ipsis Cornelio Asinae consuli fuerant injectae. Hanno autem, certior Romani animi aestimator, nihil tale timendum ratus, maxima cum fiducia ad colloquium eorum tetendit. Apud quos quum de belli fine ageret et tribunus militum ei dixisset: posse illi merito evenire, quod Cornelio accidisset: uterque consul, tribuno tacere jusso: *Isto te*, inquit, *metu, Hanno, fides civitatis nostrae liberat.* — *Livius lib. XXII. c. LXI.* auctor est narrationis, ex qua dilucide apparet, quam religiose caverint Romani, ne fides, quam cum admiratione orbis terrarum constantissime obtinuerant, hominis privati et ne civis quidem Romani perfidiâ violata ipsorum gloriam inquinaret.

In pugna ad Cannas multi cives Romani capti erant. Quibus quum ab Hannibale redimendi copia facta esset, ipsorum decem delecti sunt, qui captivorum redimendorum causa Romam ad senatum irent: nec pignus aliud fidei, quam ut jurarent, se redituros, acceptum. Quum egressi castris essent, unus ex iis, velut aliquid oblitus, jurisjurandi solvendi causa quum in castra redisset, ante noctem comites assequitur. Redemtio a senatu negatur et ad hostes redire jubentur; ille unus vero domum abiit, quod fallaci reditu in castra jurejurando se exsolvisset. Quod ubi innotuit relatumque ad senatum est, omnes censuerunt, comprehendendum et custudibus publice datis deducendum ad Hannibalem esse.

Nec Republica labente et afflicta ac moribus perditis desunt exempla singularis fidei Romanae.

Quum Menas libertus Sextum Pompejum, Magni filium atque belli adversus partes Caesarianas heredem et caput, ad caedem Octavii et Antonii, quos, quum subdolam amicitiam sub ficta pacis imagine cum eo inissent, navi sua amice ad epulas receperat, hortaretur, orbis terrarum imperium ei ostentans, si hos diversarum partium duces sustulisset, noluit Pompejus fidem datam contra morem Romanum violare, licet aemulis sublatis populi Romani ipsiusque orbis terrarum imperio facillime potiri potuisset. Cfr. *Cassius Dio* lib. XLVIII. c. XXXVIII. — Etiam memorabile est, quod de se ipso memorat *C. Jul. Caesar* lib. I. c. XLVI. de bello gallico. Quum enim in colloquio, quod cum Ariovisto

fecit, Caesari nunciatum esset, equites Ariovisti lapides telaque in suos conjicere, loquendi finem fecit seque ad suos recepit suisque imperavit, ne quod omnino telum in hostes rejicerent. Nam etsi sine ullo periculo legionis delectae cum equitatu proelium fore videbat; tamen committendum non putabat, ut, pulsis hostibus, dici posset, *eos ab se per fidem in colloquio circumventos.* Haec exempla fidei Romanae sufficiant. — At his obstare videtur pax Caudina a captis consulibus, legatis, quaestoribus tribunisque militum sponsa, neque vero a senatu populoque Romano sancte observata; item pax Numantina.

Et quidem de Caudina res ita se habet. Bellum erat populo Romano cum Samnitibus. T. Veturius Calvinus et Sp. Postumius Consules cum exercitu ad furculas Caudinas inter duos saltus clausi erant. Summus saltus ab hostibus armatis obsessus et fauces saltus valida manu praeclusae. Fames obsessos urgebat et imminentium hostium arma aut mortem voluntariam aut deditionem pactaque suadebant. Placuit tamen pax, quamvis populo Romano et ipsi quoque exercitui foeda atque ignominiosa. Inter alias enim turpissimi foederis conditiones haec fuit omnium turpissima, quod milites Romani una cum ducibus inermes cum singulis vestimentis sub jugum ad exitum saltus exstructum missi exire coacti sunt. Quod ubi Romam delatum, senatus approbare noluit atque ab hac pace abhorruit tradiditque auctores fetialibus cum ceteris Caudium ducendos. Ex quo non licet concludere, impie et contra datam fidem Romanos egisse, quod pactis non stetissent. Sciendum enim est, non posse fractae fidei jure incusari populum Romanum, quum is ipse hosti fidem nullam dederit neque hoc mandarit Consulibus, ut ipsi bellum propria auctoritate pactis componerent. Neque enim ea potestate missi sunt ad hostes cum exercitu consules, ut libere cum hostibus paciscerentur, sed mandatum ipsis solum, ut eos ferro lacesserent. Non licuit ergo mandati fines excedere et invitum obligare ad pacem inhonestam et reipublicae exitiosam populum Romanum. Etiam consules profecti ad Pontium in colloquium, quum de foedere victor agitaret, negarunt, injussu populi foedus fieri posse: nec sine fetialibus caeremoniaque alia solemni. Fides igitur hosti data eos tantum, neque vero populum universum obligare poterat. Ob eam causam in senatu, deliberatione gravissima de hac re habita, non quaesitum est, essentne servanda pacta, sed cujus esset ea servare; neque injuste conclusum est, Consules tantum, nec vero populum Romanum ad ea servanda teneri. Si enim pax obligare debebat populum, jussu populi, fetiali et caeremoniis solemnibus intervenientibus, facienda erat. Pace vero Caudina non foedere, sed per sponsionem facta, jure decretum est, ipsis quoque consulibus, qui pactionem foedam fecerant, consentientibus et Sp. Postumio hoc insuper suadente, ut ipsi tantum

hosti traderentur. Consulis verba apud *Livium lib. IX. cap. VIII.* inter alia sunt haec: *Qua sponsione, quando injussu populi facta est, non tenetur populus Romanus: nec quidquam ex ea, praeterquam corpora nostra, debentur Samnitibus. Dedamur per fetiales nudi vinctique: exsolvamus religione populum, si qua obligavimus; ne quid divini humanive obstet, quominus justum piumque de integro ineatur bellum.* — Hoc ita factum esse, legimus apud Livium cap. X. Nec populi Romani fidem inquinare potest Postumii factum, qui fetiali eum hostibus tradenti genu femur percussit et clara voce dixit, se Samnitem civem esse, illum legatum; fetialem a se contra jus gentium violatum; eo justius bellum gesturos Romanos, ut Livius narrat. Haec enim viri privati fuit calliditas neque jussu Senatus populique Romani patrata. Apparet ergo luculenter, Romanos non fregisse foedus; nullum enim ictum erat; potius eorum probitas abunde ex eo conspicitur, quod Consules omnesque, qui sine jussu senatus populique spoponderant, bona fide hosti traditi sunt. Causa foederis male compositi et non servati non fuit populus Romanus, sed ipse Herennius Pontius, hostium dux, qui jus fetiale institutaque ejus reipublicae, quacum bellum gerebat, turpiter ignorabat negligebatque. Herennius Pontius, pater imperatoris, consultus rectissime censuerat, aut omnes Romanos inter duos saltus clausos inde quam primum inviolatos dimittendos, aut ad unum omnes interficiendos; neutra vero sententia accepta.

De foedere Numantino *Vellejus Paterculus lib. II. cap. I.* ita scribit: „Numantia cum alios duces, tum Pompejum, magni nominis virum, ad turpissima deduxit foedera, nec minus turpia ac detestabilia Mancinum Hostilium consulem. Sed Pompejum gratia impunitum habuit; Mancinum verecundia, quippe poenam non recusando, perduxit huc, ut per fetiales nudus ac post tergum relegatis manibus dederetur hostibus. Quem illi recipere se negaverunt, sicut quondam Caudini fecerunt, dicentes, publicam violationem fidei non debere unius lui sanguine." — *Tullius Cicero* de officiis lib. III. cap. XXX. hanc rem diligentius ita exponit: C. Mancinus, ut Numantinis, quibuscum sine senatus auctoritate foedus fecerat, dederetur, rogationem suasit eam, quam L. Furius, S. Atilius ex senatus consulto ferebant: qua accepta, est hostibus deditus. Honestius hic, quam Q. Pompejus, quo, quum in eadem causa esset, deprecante, accepta lex non est. — Ex quibus patet, iisdem hanc pactionem postulatis destitutam fuisse, quibus Caudina, ut etiam hujus violatio iisdem causis defendi possit. In eo tantum Romani peccarunt, quod non etiam Pompejum hostibus dederunt, quum in eadem esset culpa. Cfr. Hugo Grotius de Jure belli et pacis lib. II. cap. XV. n. XVI.

Utilitas fidei datae sua sponte elucet. Praeterquam quod fides rempublicam

optime continet, ut supra quodammodo Tullio auctore lib. III. de offic. demonstravimus, multa alia sunt commoda, quae fides religiose servata reipublicae affert. Sane rempublicam praecipue bellicosam, qualis Romana fuit, sine sociorum auxilio constare non posse, nemo infitias ire potest. Quos qua ratione facilius tibi comparaveris, quam fama fidei semper servatae? Omnis enim societatis fundamentum fides est, quae discrepantes animos conjungat. Quodsi quis socium quaerit, talem eligit, qui fluxam odit fidem. Si enim alterius partis vacillet fides, quid juvat societas sub conditionibus vel optimis inita? Quum Romani prae aliis gentibus integrae fidei fama satis clari essent, etiam facile inveniebant, qui cum ipsis societatem coirent. Quoties enim gentibus vicinis bellum erat, eae fidei Romanae se committebant atque populi Romani societatem non tam auxilii et armorum, quam fidei gratia studiose quaerebant. Itaque T. Quinctius Flamininus, quum Graecorum legati in concilio Boeotorum varie de societate gentis disseruissent, pauca admodum adjecit, *fidem magis Romanam, quam arma aut opes extollens verbis*, teste *Livio* lib. XXXIII. cap. II. Nihil enim melius se habere arbitratus est, quo genti suspiciosae societatem Romanam suaderet, quam celebratam undique fidem Romanam. Idem Quinctius in concilio Achaeorum eos graviter admonet, ne Antiochi regis et Aetolorum vanam societatem assumerent, sed *expertae potius spectataeque Romanorum fidei crederent*, ut apud *eundem Histor.* lib. XXXV. cap. XLIX. legitur. Haec fuit vera causa tot sociorum rem Romanam enixe juvantium atque hi ipsi socii, qui ob fidem societati Romanae accesserunt, plerumque fideliores populo Romano fuerunt, quam qui armis victi in societatem eorum recepti erant. Quod enim aliquis sua sponte et amore virtutis facit, multo constantius perficit, quam ad quod necessitate cogitur. — Etiam haec ingens utilitas est, quae ex fide capitur, quod ei, cujus fides infirma non est, vicissim fides et etiam sanctius servatur. Quamvis enim unusquisque vi conscientiae teneatur, etiam perfido promissa servare, multo tamen lubentius ei fidem exsolvimus, cujus mutua fides nobis satis certa et conspicua est. Quod Romanis obtigisse, commemorat *Valerius Maximus*, cujus *lib. VI. cap. VI.* Memorabil. hanc in rem verba haec sunt: *Quam (fidem) ut civitas nostra semper benignam praestitit, ita in sociorum quoque animis constantem cognovit.* Praeterea hostis facilius abire ab armis et redire ad pacem solet, si nota ipsi adversarii fides est. Si enim suis viribus non satis confidere possit, tutius certe arbitrabitur, experiri aliquoties expertam adversarii fidem, quam dubiae belli aleae salutem suam committere. Etiam interdum hostes virtutis et animi magnitudine capti cum eo populo, cujus manifesta fides ipsorum animos summa admiratione affecerat, pacem societatemque quaerere solent. Cujus rei

illustre exemplum legitur apud *Livium* lib. V. cap. XXVII., ubi Falisci subito arma deponunt et pacem a Camillo, duce Romano, supplices petunt non alia de causa, quam quod magistrum liberorum, qui principum pueros Romanis traditurus in castra Romana callide perduxerat, denudatum, manibus post tergum illigatis, reducendum Falerios pueris tradiderat virgasque eis, quibus proditorem agerent in urbem verberantes, dederat. Consensu omnium legati Romam ad senatum, qui dederent Falerios, profecti sunt, quorum gravis oratio haec fuit: Patres conscripti, victoria, cui nec deus, nec homo quisquam invideat, victi a vobis et imperatore vestro, dedimus nos vobis; rati, quo nihil victori pulchrius est, melius nos sub imperio vestro, quam legibus nostris, victuros. Eventu hujus belli duo salutaria exempla prodita humano generi sunt. Vos fidem in bello, quam praesentem victoriam maluistis: nos fide provocati, victoriam ultro detulimus. Sub ditione vestra sumus. Mittite, qui arma, qui obsides, qui urbem patentibus portis accipiant. Nec vos fidei nostrae, nec nos imperii vestri poenitebit.

Fide perspecta Romanorum *candorem* intuebimur. Digna haec virtus est, in quam ob solam raritatem paulo curiosius inquiramus. Ob raritatem dixi; quia aliis gentibus, si non prorsus ignota, certe penitus neglecta, et tantum apud Romanos in honore aliquo usuque fuit. Quum hic populus longe majus imperium, quam aliae gentes, animo concepisset, rarioribus quoque moribus atque rationibus inusitatioribus ad magnitudinem properavit. Inter quas rationes non praetermittenda est consuetudo cum hostibus non astute et callide, sed aperte et candide agendi. Itaque saepe legas in historia Romana, si forte hostes magistratuum provincialium fraude decepti erant, Senatum populumque Romanum cum indignatione dixisse: Eos cum dignitate populi Romani non egisse. Indecorum enim sibi duxit hic populus, artibus vulgaribus atque aliis quoque gentibus usitatis orbis terrarum imperio potiri. Quem animum satis exprimit verbis M. Furius Camillus, qui perfido illi puerorum magistro graviter respondit: Non ad similem tui nec populum nec imperatorem scelestus ipse cum scelesto munere venisti. Nobis cum Faliscis, quae pacto fit humano, societas non est: quam ingeneravit natura, utrisque est eritque. Sunt et belli, sicut pacis jura: justeque ea non minus, quam fortiter didicimus gerere. Arma habemus non adversus eam aetatem, cui etiam captis urbibus parcitur; sed adversus armatos et ipsos, qui nec laesi, nec lacessiti a nobis castra Romana ad Vejos oppugnarunt. Eos tu, quantum in te fuit, novo scelere vicisti: ego Romanis artibus, virtute, opera, armis, sicut Vejos, vincam. — Memorabilius est, quod apud *Livium* lib. XLII. cap. XLVII. legitur. C. Marcius et A. Atilius, Romanorum legati, ex Graecia Romam redierant legationemque in Capitolio ita renuntiaverant, ut nulla re magis gloriarentur, quam

decepto per inducias et spem pacis rege (is fuit Perseus Macedo). Adeo enim apparatibus belli fuisse instructum, ipsis nulla parata re, ut omnia opportuna loca praeoccupari ante ab eo potuerint, quam exercitus in Graeciam trajiceretur. Spatio autem induciarum sumto, venturum illum nihilo paratiorem; Romanos omnibus instructiores rebus cepturos bellum. Boeotorum quoque se concilium arte distraxisse, ne conjungi amplius ullo consensu Macedonibus possent. Magna quidem pars senatus haec approbabat; sed veteres et moris antiqui memores negabant, se in ea legatione Romanas agnoscere artes. Non per insidias et nocturna proelia, nec simulatam fugam improvisosque ad incautum hostem reditus, nec ut astu magis, quam vera virtute, gloriarentur, bella majores gessisse; indicere prius, quam gerere solitos bella, denuntiare etiam; interdum locum finire, quo dimicaturi essent. Eadem fide indicatum Pyrrho regi medicum, vitae ejus insidiantem: eadem Faliscis vinctum traditum proditorem liberorum regis. Haec Romana esse, non versutiarum Punicarum, neque calliditatis Graecae: apud quos fallere hostem, quam vi superare, gloriosius fuerit. — Haec erat Romana indoles. Aliae gentes artibus occultis hostium vires enervare non dubitabant; Romani vero summam laudem quaerebant in eo, quod aperte vincere et aperta tantum vi hostibus vires suas ostendere studebant. Licet enim strategematum usus in bello jure gentium inconcessus non sit, Hugone Grotio lib. III. cap. I. de jure belli et pacis egregie docente, neque ea ipsi Romani prorsus neglexerint, malebant tamen artibus rarioribus et ab aliis gentibus non receptis inter omnes eminere. Neque haec virtus prioribus tantum saeculis, quibus respublica libertate florebat, in usu et honore fuit, sed etiam posterioribus temporibus invenitur adeoque, ut ipse Tiberius, Imperator sagacissimus et usque ad infamiam callidus, eam non neglexerit. Quum enim Adgandestrii, principis Cattorum, in senatu litterae legerentur, quibus mortem Arminii promittebat Romanis, si patrandae neci venenum mitteretur, respondit: non fraude, neque occultis, sed palam et armatum populum Romanum hostes suos ulcisci, *Tacito* lib. II. Annal. cap. LXXXVIII. affirmante.

Neque vero his repugnat variarnm artium et strategematum usus. Nihil enim obstat, quominus candoris fama pollens, si usus sit, strategematis interdum uti possit. Candor enim tantum illas artes vetitas et ab omnibus gentibus damnatas excludit, nec vero eas, quas tot saeculorum usus frequentissimus communi gentium consensu comprobavit. Inter quas omnino referendae sunt occultae illae artes, quibus unius hominis prudentia saepe ingentes hostium vires eo modo, quo licet, evertuntur, de quibus conferatur Hugo Grotius de jure belli et pacis lib. III. cap. I. Tales fuerunt artes, quae a ducibus Romanis saepissime ad-

hibitae, quum ab omnibus populis receptae essent, Romanorum dignitati nullam labem adspergere poterant. Cfr. *Val. Max.* lib. VII. cap. IV. Artes vero malas et non licitas, quas Poeni aliaeque gentes exercebant, Romani aspernati sunt et in eo praecipuam laudem quaesiverunt et invenerunt; alios moribus superare et plus sapere, quam alii, voluerunt, id quod ipsis propriam et ceteris longe splendidiorem laudem gloriamque tribuit. In eo igitur, quod Romani gentium sanarum mores usu et consuetudine in bello receptos non neglexerunt, prudenter egerunt neque vituperationem subire possunt; quod vero etiam honestius, quam aliae gentes, haud semel sese gesserunt, id summae iis est laudi et gloriae eorumque nomen magis, quam aliarum gentium, celebrandum est.

Neque vero in eum finem candor Romanis cordi fuit, ut eo sibi viam praestruerent ad facilius fallendum. Negari non potest, morem perversum jam antiquissimis temporibus fuisse, ut, qui alios maxime decipere voluerunt, ex animo interdum agerent cum iis, quo facilius incautos tandem opprimerent. Dixerat apud *Livium* lib. XXVIII. cap. XLVII. C. Fabius: Fraus fidem in parvis sibi praestruit, ut, quum operae pretium sit, cum mercede magna fallat. Aliud autem consilium Romani habuerunt. Bellis enim cum candore potius, quam fraude patrandis magnitudinem suam viresque gentibus ostendere voluerunt, quasi non opus esset occultis artibus imperium adaugere, viribus, quibus glorosius firmare possent, sufficientibus. Hinc gentium existimatio magnitudinem Romanam admirantium seque eorum imperio certatim subjicientium! Accedit, quod Romani non ignorabant, eos in fide firmiores esse, qui aperta vi, non fraudibus imperium agnoscere coacti essent. Ratio est aperta; quia fere omnes occultis artibus uti, nemo vero hostem superare potest, nisi cui maximae vires in promptu sunt. Quodsi quis fraudibus tantum, nec vero viribus victus sit, facile fidem mutare sibique persuadere poterit, se eadem ratione hostis vires, qua ille suas fregerit, evertere posse. Itaque egregia sunt seniorum in Senatu Romano verba apud *Livium* lib. XLII. cap. XLVII.: Interdum in praesens tempus plus profici dolo, quam virtute: sed ejus demum animum in perpetuum vinci, cui confessio expressa sit, se neque arte, neque casu, sed collatis cominus viribus, justo ac pio bello esse superatum.

Agamus de alia virtute maximeque notabili, qua populus Romanus non minus excellebat, quam iis, de quibus adhuc disseruimus. Ea *animi magnitudo* est, virtus nemini propria, nisi qui rerum suarum vix potens se super alios effert atque animo supra vires omniaque eminet; itaque populo Romano vere communis, cui res gestae semper tantos spiritus attulerunt, ut non modo tantum imperium animo concipere, sed etiam spei suae sufficere posset. Et sane in

historia Romana multa inveniuntur egregie facta, quae hanc Romanorum virtutem nobis abunde ostendunt. Huc pertinent omnes illae res gestae, quae probant, Romanos saepe extrema expertos esse; fortuita animose sprevisse; munera exterorum oblata respuisse; auxilia ab amicis missa, quamvis necessitudinibus circumventi eorum indigerent, remisisse; magnorum principum honores admisisse et iis laetatos esse; ad alterius arbitrium vivere non potuisse, sed libertatem suam tam adversus cives, quam exteros diligenter defendisse; et alia, quae magno animo convenire philosophi docent. Nobis de singulis ex historia Romana quaedam repetenda sunt.

Primum diximus, magnanimitatem populi Romani ex eo patere, quod in plerisque suis factis extrema persecuti sunt. Magni animi enim est, Aristotele docente, non parva subire pericula, sed potius magna, quorum eventus plerumque est incertus. Qui tali discrimini se submittit, aut certum vult exitium, aut certam incolumitatem, sed maxima cum gloria conjunctam. Romanos salutem saepe in tale periculum vocasse, plurima bella, quae saepe Marte ancipite gesserunt, abunde docent. Quid enim frequentius apud historicos legimus, quam non esse populi Romani consuetudinem, ab armato hoste ullam accipere conditionem? Rarissime quoque invenies, Romanos, etiam rebus vel maxime afflictis, pacem ab hoste petivisse. Noverant enim, eum, qui ab altero pacis conditiones petit, se eo multo minorem esse fateri. Atqui magno animo non convenit, aliquem superiorem excellentioremque agnoscere, potius non solum se omnibus potiorem habere, sed etiam se praestare dignum, qui talis habeatur. Itaque Romani infra se esse putabant, pacis conditiones offerre hostibus; in dubiam belli aleam rem suam dare malebant, quam gentibus de se ullam pusilli animi suspicionem praebere. Longum est omnia populi Romani bella recensere, in quibus magni animi documenta dedit. Adeas velim Annaeum Florum, qui res Romanas usque ad Augusti Caesaris tempora conscripsit. Paucis tantummodo exponamus bellum, quo populus Romanus nullum funestius, periculosius, felicius gessit, Punicum secundum. Hannibal Hispaniam in potestatem suam redegerat, Galliam foedere sibi adjunxerat, Alpes transierat et in Italiam cum exercitu infesto non modo irruperat, sed etiam magnam partem occupaverat. Quater exercitus consulares ad Ticinum, ad Trebiam, ad Trasimenum, ad Cannas ad internecionem deleti erant. Nihil aliud Romanis reliquum esse visum est, nisi urbs civibus vacua et magistratibus orbata. Populus Romanus tot malis oppressus hosti cedere noluit, sed aut exilium aut imperium paci turpi praetulit. Bellum igitur renovavit et, Hispania recuperata, fortunam, quam toties adversam in Italia habuerat, in Africa denuo tentavit ibique tam prosperam tandem habuit, ut statim post

transitum Scipionis in Africam pacem ab hoste aequis conditionibus oblatam recipere posset. Memorabile est, quod in fragmentis *Cassii Dionis* legimus: Carthaginienses ad Scipionem et ad senatum legatos misisse, qui sub conditione pacis omnia, quae imperata essent, se facturos pollicerentur; eos vero a senatu Romano non admissos esse, quod alienum esse diceret a consuetudine patria, dum exercitus in Italia essent (Hannibal enim nondum Italia excesserat), de pace agere. Tunc igitur tuta et certa Romanis non placuerunt, sed extrema et incerta. Neque enim dubii Martis pericula timere potuerunt, quae antea satis certa et praesentia spreverant. Quid ergo? Romani a bello non destiterunt, priusquam Carthaginienses Romanis tandem se dedissent eorumque imperio se subjecissent. Profecto facere non possumus, quin animi magnitudinem populi Romani admiremur!

Praeterea magni animi est, munera aut omnino non, aut saltem cum verecundia quadam accipere. Qua ipsa virtute Romani ceteris populis praestabant. *Cassius Dio* in Fragmentis narrat, Ptolemaeum Philadelphum, Aegypti regem, quum audivisset, Pyrrhum adversus Romanos rem male gessisse, foedus cum iis fecisse et simul dona amplissima iis misisse, etiam eorum legatos magnificis donis ornasse, Romanos tamen passos non esse, ut haec dona in aerarium referrentur. Nec dona tantum exterorum spreverunt Romani, sed etiam auxilia ipsis tempore iniquo oblata saepissime remiserunt. Quum Hannibal Romanos premeret, Neapolitani Romanis tunc opis egentissimis quadraginta pateras aureas magni ponderis dono miserunt; legatis vero gratiae actae pro munificentia curaque; patera, quae ponderis minimi fuit, accepta, *Livio* narrante lib. XXII. cap. XXXII. Idem cap. XXXVI. ejusdem libri scribit, legatos a Paesto pateras aureas Romam attulisse; iis, sicut Neapolitanis, gratiae actae, aurum non acceptum; et cap. XXXVII. legimus, per eosdem dies ab Hierone classem Ostiam cum magno commeatu accessisse legatosque Syracusanos in senatum introductos inter alia nunciasse: „quamquam rex probe sciat, magnitudinem populi Romani admirabiliorem prope adversis rebus, quam secundis, esse, tamen se omnia, quibus a bonis fidelibusque sociis bella juvari soleant, misisse: quae ne accipere abnuant, magno opere se Patres conscriptos orare cet." Ab senatu ita responsum regi est: Virum bonum egregiumque socium Hieronem esse cet. Aurum et a civitatibus quibusdam allatum, gratia rei accepta, non accepisse populum Romanum. Victoriam omenque accipere cet. Et mox: Funditores, sagittariique et frumentum traditum consulibus. Quod exemplum imitatus est Germanicus Caesar, *Tacito* affirmante Annal. lib. I. cap. LXXI. Quum ei ad supplenda exercitus damna Galliae, Hispaniae, Italia, quod cuique promptum,

arma, equos, aurum obtulissent; laudato eorum studio, armis modo et equis ad bellum sumptis, propria pecunia militem juvit. Magnanimi enim est, *Aristotele* Ethic. Nicomach. lib. IV. cap. III. docente, res non tam utiles et fructuosas capere, quam egregias et elegantes et imperatore dignas. Praeterea apud *Livium* lib. XXXVI. cap. IV. legitur, tempore, quo Romani adversus Antiochum, Syriae regem, bellum gesserunt, legatos a duobus regibus, Philippo Macedoniae et Ptolemaeo Aegypti, Romam venisse, pollicentes ad bellum auxilia et pecuniam et frumentum; ab Ptolemaeo etiam mille pondo auri, viginti millia pondo argenti allata. Nihil vero ejus acceptum. Gratiae regibus actae et quum uterque se cum omnibus copiis in Aetoliam venturum belloque interfuturum polliceretur, Ptolemaeo id remissum. — Nonne generosi spiritus plena est Senatus responsio, quam Latinis contra Volscos auxilia offerentibus dedit apud *Dionysium Halic.* Antiquit. lib. VI. cap. XXII., ubi auxilio Latinorum sibi opus esse negavit, Romae sufficere vires suas supplicio de imperii desertoribus sumendo? Etiam Germanici oratio ad milites seditiosos magni animi plena est, cfr. *Tacitus Annal.* lib. I. cap. XLIII. Neque enim, ait, Dii sinant, ut Belgarum, quamquam offerentium, decus istud et claritudo sit, subvenisse Romano nomini, compressisse Germaniae populos. Denique silentio non sunt praetermittenda ejusdem *Historici Histor.* lib. IV. cap. LI. haec verba: Aderant legati regis Vologesi, quadraginta Parthorum equitum millia offerentes. Magnificum laetumque, tantis sociorum auxiliis ambiri, neque indigere. Gratiae Vologeso actae, mandatumque, ut legatos ad Senatum mitteret et pacem esse sciret.

Porro magnus animus fortunam adversam, etiam maximam contemnit et sperat semper meliora et feliciora. Quod a Romanis factum esse, testem adhibeo *Livium*, qui narrat, Romanos, quum Hannibal ad moenia urbis Romae armatus sederet, milites sub vexillis in supplementum Hispaniae misisse; item Romae per eos dies agrum, in quo Hannibal castra haberet, venisse, nihil ob id deminuto pretio. Quid evidentius hostis contemtionem probet? Civis Romanus agrum ab hoste occupatum eo pretio, quo in pace venisset, emit! Addatur de eadem re *Florus* Rer. Roman. lib. II. cap. VI. Si talis fiducia viris privatis fuit, facile est ad judicandum, qualis fuerit Senatus et totius populi animi altitudo. Qua de re plura dicentur, ubi de constantia Romanorum in rebus adversis agemus.

Denique magno animo praeditus honoribus non a quibusvis, sed viris magnis tributis laetatur. Quum enim magnus animus nihil nisi magna animo volvat probeque sciat, neminem, nisi qui eadem animi elatione generosa sit, actiones suas aestimare posse, fit, ut neque ad honores neque ad calumnias hominum tenuiorum attendat. Etiam inter omnes constat, magno animo praeditum

laudis, honorum, famae appetentissimum esse. Semper igitur eo consilio agit, ut vel crescat vel conservetur ipsius auctoritas et aliorum sui aestimatio gloriosa. Ita fit, ut magna oblectatione honores accipiat laudumque gloriam adamet, si a magnis summisque viris proficiscuntur. Hanc magni animi naturam Romani scriptores nobis tam saepe exponunt, ut multis eam probari non opus sit. Nonne Senatus populusque Romanus fere semper exterorum regum legatos cum amplissimis muneribus venientes vidit, qui de rebus fortiter feliciterque gestis gratularentur, qui ejus amicitiam peterent, qui foedus societatemque flagitarent, qui denique se gentemque suam in fidem et clientelam Romanorum conferrent? Quid, quod populi dissentientes controversiarum suarum arbitrum saepissime populum Romanum constituerunt? et vix credibile esse videtur, principes exteros Senatui supplices fuisse, ut Regio nomine digni judicarentur; qua de re conferendus est *Livius* lib. XL. cap. LVIII., ubi dicitur: Perseus, potitus regno, interfici Antigonum jussit: et dum firmaret res, legatos Romam ad amicitiam paternam renovandam petendumque, *ut Rex ab Senatu appellaretur*, misit. Quod ad hanc rem attinet, illa Vologesi regis de Tiridate ad Senatum scribentis verba apud *Tacitum* Annal. lib. XV. cap. XXIV. non praetermittenda sunt: Nec recusaturum Tiridaten, accipiendo diademati in urbem venire, nisi sacerdotii religione attineretur. Iturum ad signa et effigies principis, ubi, legionibus coram, regnum auspicaretur. Romanis etiam contigit, ut tanti aestimarentur, ut summi principes liberos Romam mitterent, qui disciplinam virtutemque Romanam a pueris discerent, ut deinde ad gentes nobilissimas regendas revocarentur. *Livius* lib. XLII. cap. XIX. diserte tradit, legatos Ariarathis puerum filium regis secum adducentes, Romam venisse eorumque orationem fuisse: regem educandum filium Romam misisse, ut jam inde a puero assuesceret moribus Romanis hominibusque. Petere, ut eum non sub hospitum modo privatorum custodia, sed publicae etiam curae ac velut tutelae vellent esse; eamque regis legationem gratam Senatui fuisse. Quos honores et alios amplissimos, nec vero ab hominibus tenuioribus profectos semper vultu hilari atque laeto a Romanis acceptos esse, Livius, Tacitus, Cassius Dio aliique passim tradunt.

Postremo Romanorum animi magnitudo maxime eo probatur, quod ad alterius arbitrium vivere non potuerunt. Quisquis enim magno est animo, alienum jugum ferre non potest, quum se elatius gerat. Si res Romanas altius et ab initio urbis repetimus, videbimus, nullam Romanis majorem, quam libertatis fuisse curam. Pro libertate bella saevissima cum populis finitimis perpetuo gesserunt, donec tandem illi virtuti Romanae cesserunt populique Romani imperata fecerunt. Quo studio, memorabile dictu! factum est, ut populus Romanus ab

urbe condita exterarum gentium imperio nunquam subesset, sed statim a primordio libertatem suam adversus hostes suos defenderet et obtineret. Romani vero non solum externum jugum aspernati sunt, sed etiam vix admiserunt, ut unus civium omnibus plena potestate praeesset. Etsi ab initio aliarum gentium more reges habuerunt, non tamen eorum imperium nimis liberum fuit nec diu jugum ferre potuerunt, sed occasione data excusserunt. In errore versantur, qui statuunt, causam regiminis mutati gentis Tarquiniae injurias et tyrannidem fuisse. Accurate enim distinguenda est causa ab occasione sive initio. Quapropter *Polybius* lib. III. cap. II. scribit: Stuprum Lucretiae allatum et alia, quae a Tarquiniis in fraudem et oppressionem libertatis Romanae agebantur, occasionem tantummodo obtulerunt ad reges expellendos. Vera autem causa fuit studium libertatis. Quam quum sub regibus florere non posse viderent, regiminis regii destruendi occasionem quaesiverunt. Quia vero priores reges modestius sese gesserant et speciem quandam libertatis concesserant, populus Romanus se hoc modo contineri ad tempus passus erat, donec Tarquinio regnante populi libertas nimis opprimi visa est. Si Tarquinii saevitia regni mutati causa fuisset, cur Romani non alium regem ei substituerunt, sed regium nomen ejurarunt neque postea receperunt? Regibus exactis eadem constantia libertatem tuebantur, qua eam industria et strenuitate obtinuerant. Quum enim optimates imperium in plebem habere vellent, Romani secessionibus factis consequuti sunt, ut summa reipublicae potestas penes universum populum, administratio vero penes paucos esset; neque postea, quum patricii populi potentiae non amici essent, curam libertatis tuendae Romani deposuerunt, sed semper fortiter restiterunt et tandem effecerunt, ut respublica sub libera forma usque ad Caesaris tempora regeretur. Omnium vero seditionum, quas plebs adversus Patres movebat, causa primaria fuit illa libertatis cura pertinax et dominationis qualislibet odium. Quum enim republica in duas partes scissa, ab altera senatu cum equitibus stante, ab altera plebe, neutra alteri servire, sed potius dominari vellet, pertinacia certantium efficeret necesse fuit, ut aequalem in republica potestatem obtinerent, unde ratio illa reipublicae orta est, in qua populus universus ex patribus et plebe mixtus dominabatur. Equidem putaverim, magnitudinem Romanam satis esse expositam, et restat, ut rei commodum probetur. Id omnino fuit maximum. Hac enim ratione bona Romanorum fama ita crevit, ut omnes gentes summa admiratione afficerentur. Qua admiratione ultro fassae sunt, virtutes suas nullo modo comparari posse cum moribus hujus populi laudatissimi. Quo factum est, ut, cui ipsae nec virtute nec gloria exaequari poterant, in ejus fidem et clientelam se conferrent dignumque populum Romanum haberent, qui ipsis imperaret, quum virtute et gloriosissimis factis longissime

praestaret. Id vero maxime rem Romanam juvit, quod hoc modo hostium animus saepe fractus et spes de victoria concepta erepta est. Ceterum inter omnes constat, quantum intersit, militem habeas animosum, an hostium metu vero aut vano perculsum. Hunc animum fortem Romanis commodo fuisse maximo, Hannibal Poenus, dux ceteroquin exercitatus animosusque, docet. Is quum ad moenia urbis Romae armatus sederet atque milites sub vexillis in supplementum Hispaniae profectos, itemque agrum, in quo tunc castra haberet, veteri pretio emtorem invenisse audivisset, spem urbis capiendae abjecit et statim castra retulit, *Livio* lib. XXVI. cap. XI. narrante. Eodem consilio Scipio Africanus speculatores Hannibalis in castris deprehensos et ad se perductos nec supplicio affecit, nec de consiliis ac viribus Poenorum percunctatus est, sed circa omnes manipulos diligentissime deducendos curavit. De quo magno animo *Valerius Max.* Memorab. lib. III. cap. VII. ita judicat: „*Quo tam pleno fiduciae spiritu prius animos hostium, quam arma, contudit,*" et *Livius* lib. XXX. cap. XXIX. aperte dicit, Hannibalem nihil quidem eorum, quae nuntiabantur, laeto animo audivisse, *maxime hostis fiducia, quae non de nihilo profecto concepta est, perculsum.* At cur populus Romanus auxilium et munera sibi ab aliis oblata aut plane sprevit, aut saltem modeste interdum accepit? Utilitas fuit magna, quod in extrema calamitate spem aliquam in aliena ope ponere poterant. Quo enim promtius alii Romanis opitulabantur, eo moderatius Romani agebant, plerumque nihil auxilii aut saltem non multum accipientes et vicissim, quo modestius Romani auxilium oblatum accipiebant, eo promtius et quasi certatim alii offerebant; suam quisque voluntatem erga populum potentissimum ostendere voluit, quo sub ejus tutela tutius quiescere posset. Itaque evenit, ut, quotiescunque Romani alieni auxilii indigebant, semper haberent in promtu, quod vel reciperent vel respuerent. Hae erant illae artes modestae, quibus consequuti sunt, ut, quacunque fortuna utebantur, semper tamen haberent subsidia, quibus imperium Romanum ex periculo aut exitio eriperent et incolume servarent.

Animi magnitudine perspecta, transeamus ad *constantiam in rebus adversis,* virtutem nobilissimam, tantique populi studio dignam, reipublicae quoque necessariam. Dignam inquam, quia magnum populum nihil magis dedecet, quam turpiter in rebus adversis desperare, quum animi abjecti sit, melioris fortunae spem, malis gliscentibus, illico perdere. Necessaria vero illa virtus est, quia reipublicae ad majora et altiora eniteuti nihil magis necessarium videtur, quam casus varios sustentare. Quum enim Fortunam insanam esse et caecam perhibeant philosophi saxoque illam instare globoso praedicent volubilem, fit, ut mira in omnibus rebus humanis fortunae vicissitudo conspiciatur et adversa secundis, secunda adversis

perpetuo misceantur. Etiam observare licet, fortunam non modo non pati, ut quis perpetua felicitate floreat, sed vix admittere, ut quis in infinitum malis prematur. Neque enim credibile est, hominem inveniri, qui fata sibi tam inimica habuerit, ut per totam vitam nullam malorum intermissionem senserit, nullam prosperitatis mutationem vel temperationem. Quod quum ita sit, animus, malis imminentibus, non statim abjiciendus est, sed exspectandus fortunae melioris laetiorisque reditus; atque civitatibus et principibus, qui eminentem aliquam magnitudinem appetunt, tali constantia potissimum opus est. Quum enim non semper secundis rebus uti possint, aut malis est succumbendum, aut cum perseverantia occurrendum. Illa ratione civitas evertitur, hac ei incolumitas salusque affertur. Fortes fortuna adjuvat; fortis et constantis est, non perturbari in rebus asperis. Quodsi animo forti et constanti malorum impetus sustinueris, fieri non potest, quin malum fortunae meliori redeunti tandem cedat teque relinquat, quem ad id tempus constanter vexaverat. Itaque liquet, rempublicam ad magnam potentiam pervenire non posse, nisi cives alat, qui res adversas tolerare et melioribus sese servare didicerint.

Hanc quoque virtutem Romanis cordi fuisse, ex historicis abunde probari potest. Nobis nonnulla tantum exempla egregia afferre in animo est. Et primum quidem haec Romanorum constantia satis ex eo elucet, quod, etsi pugna mala victi erant, tamen animis abjectis a victore pacem non petierunt, sed ad nova potius belli consilia redierunt, novumque exercitum conscripserunt, qui extrema de integro experiretur. *Polybius*, rerum Romanarum scriptor diligentissimus, Hist. lib. I. cap. XVI. memorat, Romanos primo bello Punico, quo de dominatu Siciliae cum Poenis decertabant, navali proelio victos, etsi vulnus ingens se accepisse intelligebant, tamen pristinae animi magnitudinis haud immemores, classe statim reparata novisque copiis coactis, Consulem in Siciliam misisse. Perlecto apud hunc historicum illo toto bello, invenies, populum Romanum, saepe quidem gravibus proeliis ab hoste victum, saepe quoque maris tempestatibus immoderatis ita fractum, ut, viribus fere omnibus amissis, bellum renovare posse non videretur, nunquam tamen animo fractum fuisse, sed damna, quae naufragiis perpetuis contraxit, summa animi constantia, semper novis classibus comparatis novisque conscriptis copiis, reparasse; nec secundi belli Punici tempore post illam cladem funestam ad Cannas acceptam Senatus desperavit, sed tot undique malis circumventus dignitatem suam servavit, hortatus est populum, praesidiis urbem munivit atque de rebus praesentibus magno ac forti animo consultavit, *Polybio* Hist. lib. III. cap. ult. tradente. Addatur *Livius* lib. XXII. cap. LIII. seq. Itaque ipsi Carthaginienses, hanc Romanorum virtutem praedicantes,

Romanae in adversis rebus constantiae exemplo exercitum reparandum censuerunt (cfr. *Livius* lib. XXX. cap. VII.); ut de Romanis fortasse rectius dici possit, quod de Carthaginiensibus pronunciat Livius, *eos esse gentem natam instaurandis reparandisque bellis.* Apud *Tacitum* certe Annal. lib. II. cap. XXV. ipsi Romanorum hostes *invictos et nullis casibus superabiles Romanos* praedicarunt, qui, perdita classe, amissis armis, post constrata equorum virorumque corporibus litora, eadem virtute, pari ferocia, et velut aucti numero irrupissent. — Deinde haec Romanorum in adversis rebus constantia etiam eo probata est, quod bella externa non neglexerunt, etsi ipsi ab hostibus gravissime premebantur. Jam commemoravimus, Livio duce, Romanos, Hannibale urbem obsidente, milites in supplementum exercitus Hispaniensis emisisse, et *Florus* Rerum Roman. lib. II. cap. VI. imperii Romani statum illo tempore, quo Hannibal Italiam invaserat, accuratius considerans laudem hujus constantiae perseverantis celebrat his verbis: *O horribilem in tot adversis fiduciam! o singularem animum ac spiritum populi Romani! tam arctis afflictisque rebus, quum de Italia sua dubitaret, ausus est tamen in diversa respicere, quumque hostes in jugulo per Campaniam Apuliamque volitarent, mediamque jam de Italia Africam facerent, eodem tempore et hunc sustinebat, et in Siciliam, Sardiniam, Hispaniam diversa per terrarum orbem arma mittebat.* — Romani, quamquam arma Punica aegre tolerabant, tamen eodem tempore, quum Philippus, Macedoniae rex, imperium Romanum ferro lacesseret, novam belli Macedonici molem susceperunt. *Cui tamen adeo non succubuerunt*, inquit *Livius* lib. XXIII. cap. XXXVIII., *ut extemplo agitaretur, quemadmodum ultro inferendo bello averterent ab Italia hostem.* Illud quoque maxime mirandum est, quod Romani etiam victi victoribus pacem petentibus non gratificati sunt. Cujus rei illustre exemplum legitur apud *Livium* lib. XLII. cap. LXII. Perseus enim, Macedonum rex, Romanos equestri proelio vicerat amicorumque et vim et fortunam Romanam respicientium consilio ad Consulem legatos, qui pacem a victis peterent, miserat. Sed *submotis legatis, quum consultarent, Romana constantia vicit in consilio,* inquit historicus, qui in verbis subsequentibus Romanam indolem describens eleganter addit: *Ita tum mos erat in adversis vultum secundae fortunae gerere, moderari animos in secundis.* Recte igitur Scipio Africanus apud *Livium* lib. XXXVII. cap. XLV. ad Antiochi regis legatos gentis suae constantiam laudibus efferens: *Animos,* inquit, *eosdem in omni fortuna gessimus gerimusque: neque eos secundae res extulerunt, nec adversae minuerunt.* Eandem animi constantiam egregiam probat hoc factum: Tempore, quo Hannibal Romanos maxime urgebat, duodecim Coloniae negaverunt sibi esse, unde consulibus milites pecuniamque darent. Quid

igitur? Quamquam Romani undique malis circumventi aotum de imperio esse haud ignorarunt, si Coloniae deficerent, tamen preces humiles non adhibuerunt, quibus milites pecuniamque impetrarent, sed castigando increpandoque plus, quam leniter agendo se profecturos Coloniasque verecundiam imperii Romani habituras rati, legatos miserunt, qui castigarent, non qui precarentur, *Livio* lib. XXVII. cap. IX. sq. narrante. Multa alia exempla apud scriptores inveniuntur, quae repeti non possunt omnia.

Hujus virtutis commodum maximam partem id fuit, quod Romani omnia adversa fortiter tolerando hostem tanto belli taedio afficiebant, ut de victoria desperans pacem ultro quaereret. Licet enim, hac vel illa victoria reportata, bellum interdum ducere posset, fortunae tamen vicissitudines timens et Romanam simul constantiam perpendens, tutius rebus suis esse putavit, qualemcunque cum tam pertinaci hoste pacem habere, quam cum eo ad sui internecionem concurrere. Neque enim populus Romanus belli fortuna inferior ab armis cessabat, sed aut certam victoriam aut exitium animo ad extrema obstinato semper quaerebat. Atqui nemo sine desperatione ad extrema compelli potest. Quam temerarium autem cum tali hoste bellum sit, non ignorant rei militaris periti. Quapropter Romanorum hostes non imprudenter qualemcunque pacem potius, quam periculum belli cum viris extrema tentantibus optarunt. Exemplum affert *Livius* lib. XLII. cap. LXII., ubi Perseus, Macedoniae rex, victor a victis pacem frustra petens, hanc ipsam superbiam, quippe quae ex fiducia virium esset, timuit; et summam pecuniae augens, si pretio pacem emere posset, non destitit animum consulis tentare. — Altera utilitas constitit in eo, quod Romani hac sua constantia fortunam adversam vicerunt et semper ad victoriam pervenerunt. Evolve rerum Romanarum auctores et perpetuam victoriarum maxime illustrium seriem invenies. Longum est, omnes victorias repetere; ex tota autem bellorum laude illud admiratione nostra dignum et maxime memorabile est, quod Romani secundo bello Punico, multis annis infausta et adversa quaevis perpessi, tandem constantia pertinaci de victoribus victoriam gloriosissimam reportabant. Attingit eam rem *Polybius* lib. III. extr. his verbis: *Qui modo victi a Carthaginiensibus fuerant et rerum bellicarum gloria cessisse illis videbantur, non multo tempore interjecto virtute ac constantia reipublicae et consilio sapientiaque Senatus eo pervenerunt, ut Carthaginiensibus victis prostratisque non modo Italiae, sed etiam orbis totius imperio potirentur.* — Haec sufficiant.